

autumat fieri potuisse, ut una eademque foemina variis temporibus Naim & Bethanie sedem haberet. Primò igitur ædem habere potuit in Naim, sive quòd in ea Urbe elocata esset, sive quòd viro alicui potenti adhereret. Ibi effranis licentiæ exhibuit argumenta. Potuit unà pariter ædem suam habere paratam Bethanie, quo post ejuratam crimen veniens, una cum Lazaro & Martha commoraretur. Addit, criminofam mulierem illam in Evangelio appellari, non quòd crimen publicè profisteretur; sed idèò facillè, quòd proco uteretur viro aliquo locupleti & potenti, cuius rei gratià invidiam apud universos civis subiret; vel fortè idèò criminofa appellaretur, quòd muliebri cultu plùs nimio lasciviret.

Quæ in Evangelio de possessa à Dæmone muliere narrantur, exponit sive in sensu metaphorico, quo nempe Dæmonis nomine crimen designatur; sive fortè, ait, reapse à Dæmone agebatur, non semper, sed per temporum intervalla; quibus proinde tantum spatium daretur, quantum pro salute sua ferid cogitanda, atque de parando sibi remedio tandem sufficeret. Defendit tandem, duas illas unguenti perfusiones, nempe in æde Simonis Pharisæi & Leprosi in domo unius ejusdemque viri, sed variis temporum & locorum discriminiibus factas reputari. Tandem, ait, unam singularem mulierem pro variis rerum circumstantiis nunc Criminofam, nunc Mariam Lazari, nunc Mariam sororem Marthæ & Lazari, modò denique Mariam tantummodo appellari potuisse.

Appositè ista quidem, si priùs evidenti aliquo argumento demonstrassent, tria illa nomina Mariæ Magdalene, Marthæ sororis Marthæ, & foeminae criminofæ à Dæmone liberatæ, ad unam eandemque foeminam pertinere. Semel enim optimis argumentis veritate historiæ alicujus constitutâ, facillè resolvendis, quæ in contrarium ingeruntur, objectionibus, interpretationes omnes admittimus. Vel ipsi tunc hypothesebus minus plausibilibus favetur, quando enim veritate desituerentur, res tamen ipsa asserta constaret. Nunc autem subducitur ædificio fundamentum. Demonstranda quippè priùs fuerat singularitas mulieris, adversùs tria illa foeminarum nomina; ac deinde detorquenda essent ingenia ad systemata fabricanda, quibus opposita omnia proniùs & faciliùs refutarentur.

ARTICULUS II.

Mariam Magdalene & foeminam criminofam unam singularem foeminam esse, à Maria sorore Marthæ distinctam.

NOstra hæc opinio medium quoddam obtinet inter duas illas; quarum altera unam singularem foeminam, altera tres distinctas defendit. Hæc autem argumentis probatur Mariam Magdalene ipsam esse eandemque foeminam criminofam, quæ

ad bonam frugem rediens, Jesu Christi pedes in ædibus Simonis Pharisæi perfudit unguento. Utramque enim foeminam designantes characteres possunt commodè unidemque convenire. Confunduntur pariter apud Patres sanè multos (k), quorum præpostero planè testimonio utuntur singularitatis assertores. Aliud porro est statuisse, Mariam Magdalene cum altera confundi muliere criminofa, quæ pedes Jesu Christi in urbe Naim perfudit unguento; aliud de tribus illis, Magdalene nempe, foemina criminofa, & Maria Sorore Lazari unam eandemque foeminam constituisse. Lucas post narratam historiam foeminae criminofæ (l) quæ ad saniora consilia regrediens Jesum Christum in domum Simonis Pharisæi convenit, simulque descripta verba solatii, & spei plenissima, quibus Jesus mesam relevavit, nimirum: *Vade in pace*, addit tandem (m), Jesum per Urbes, & vicus Galilææ decurrissè, itineris comitibus sequentibus duodecim Apostolis, quibus accesserunt: *Mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à Spiritibus malignis, & infirmatibus*; Et inter cæteras *Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem Dæmonia exierant; & Joanna uxor Chusa, & Susanna, & alia plures*. D. Toynardus (n) persuasum habet, convaluissè foeminas illas à Dæmone ante sex menses, simulque verosimillimum reputat, eandem hic foeminam insinuari, quæ priùs ante pedes Domini in ædibus Simonis Pharisæi provoluta describitur; hic verò ante religiosas foeminas itinerum Jesu Christi comites omnium prima constituitur.

Singularis foeminae patroni miserè torquentur, cum de titulo mulieris criminofæ Mariæ sorori Lazari tribuendo res est. Porro eonomine juxta Patrum & Interpretum receptam sententiam, designatur foemina prostituta, quæque pudicitia omnes frenos abruperit. Alienam est autem ab ea mulieris indole, quicquid de rebus à Maria sorore Marthæ gestis memoria proditum legitur. Debuit planè religioni duci, quòd ea invidia mulier Jesu Christi amore flagrans in primis oneraretur, nisi fortè ea promanantur documenta, quæ rei veritatem extra controversiam posuerint.

Incommodum illud sentiens P. Lamy, invidiam nominis criminofæ minuendam suscepit. Nititur enim demonstrare, nomine illo designari foeminam, quæ exacto legis obsequio defuerit. Quousque verò legi non parebat Maria? Id sibi deprehendisse credit. Author ille in nomine Magdalene, quòd eidem foeminae adiciendum constituit. Magdalene enim, vel Hebraicè *Maggdala* reddi potest foemina cincinnata. Tota igitur nominis criminofæ invidia eò tendebat, quòd scilicet Maria soror Marthæ calamitrandis comis plùs nimio lasciviendi gratià studeret; hinc titulus criminofæ foeminae datus. Addit ex Rabbiorum doctrinâ veritatem esse die Sabbati comas calami strare. Porro de soliditate hujus argumenti ad iudicium ipsum suum Authorem provoco. Animadvertisse tamen juvat, ejusdem Authoris confessione nunquam fieri potuisse, ut

k Beda Al. cun. Petr. Damian. Petr. Cell. Bernad. alii plures; quos vide ad finem hujus Dissertationis.

l Luc. 7. 37.

m Luc. 8. 1. 2. &c.

n Toynard. Harm. p. 22. art. 89. ad Marc. 1. 3. & pag. 36.

o Vide P. Lamy Harm. 1. 4. c. 16. Diff. Gallicæ p. 98. p Deut. 23. 17. q Philo de Joseph. p. 533.

r Deut. 23. 18.

s Levit. 21.

t 1. Reg. 3. 16.

u Luc. 7. 11. 12. 13. 36. 37. &c.

ut Maria Magdalena eadem cum sorore Lazari statueretur, siquidem peccatricis foeminae nomen prostituta mulierem designaret (o), erat enim crimen severissimis legibus apud Israelitas interdictum (p); quin & capitale habitum fuisse Philo Judæus (q) testatur.

P. Alexander suspicatur, foeminam illam, de qua in Evangelio, non palam quidem criminibus impudicitia suæ quæstum fecisse; sed habuisse potius procum virum aliquem potentem, quocum etiam liberius confeceret. Si verò, ait, venale crimen suum habuisset, non inde tamen rectâ consecutione inferretur, alienam fuisse mulierem à genere Israelitarum; quamquam enim severâ Legis distractione prostitutionis crimen interdiceretur, nulla tamen certa decreta erat in transgressores pœna; nec nisi parum ea in re Domini iustionibus delatum fuisse satis, & pluraque satis intelligimus. Probè id noscens futurum Legislator cavet, ne prostituta merces in Templum inferretur (r); mandatis insuper onerans Sacerdotes, ne scortum & vile postribulum ducerent uxorem (s). Duæ tandem foeminae prostituta coram Salomonis tribunal, alia contra aliam causam agebant (t).

Sed irrita conjectura quòd invidiosa illa nominis criminofæ idea leniatur; nunquam enim fiet, quin eà turpitudinis notâ Mariam sororem Marthæ inurere mens refugiat, sive nimirum publica aliqua scortatio, voce illâ designetur, sive impudica quædam viro alicui potenti adhaesio. Repugnant enim ista cum his, quæ de Maria sorore Marthæ in Evangelio referuntur. Quare duas inter se planè distinctas mulieres concipere oportet, cum in Scriptura nomen foeminae criminofæ & Mariæ sororis Marthæ legimus. Alia notabilis in proximè subsequenti articulo, quibus inter duas hæc foeminas discrimen magis magisque patebit; ibique pariter diluenter objectiones, quibus sententia hæc nostra impetitur. Apud Græcos peculiari Festo colitur die 21. Martii sancta illa mulier ad meliorem frugem conversa, tanquam distincta à Maria Magdalene, & Maria sorore Marthæ.

Nec dissimulanda impræsentia hujus sententiæ incommoda, quæ lenienda utcumque suscipiemus. Foeminae illius criminofæ semel tantum meminit Evangelium. Cùm Jesus Christus defunctum filium Viduæ Naim ad vitam revocasset, in ædes Simonis Pharisæi ad coenam invitatus venit (u). Accumbentibus illis domum ingressa est foemina criminofæ elogio in Urbe totâ notissima, quæ ad pedes Jesu Christi accedens, pretioso unguenti vasculo pedes ipsos Magistri perfudit, tum lacrimis irrigatos comâ capitis sui detergebat. Sinistri aliquid de Jesu suspicatus Pharisæus, reputans intra se, Christum inanem prophetæ spiritum venditasse; quippè qui, cuius foeminae tactum suslineret, ignorasset. Quæ animo verfabatur Pharisæus, probè intelligens Jesus, parabolam duorum foeneratorum, quorum ille majori, alius mi-

norî ære alieno gravabatur, proposuit. Utrique debitum remisit foenerans, quare interrogavit Jesus Pharisæum, uter insignis beneficii largitorem suum amaret magis? Respondenti Pharisæo illum facillè, cui majus debitum remissum est; intulit inde Jesus, se ab ea foemina amari magis, quòd pluribus criminibus rea; majus ab ipso absolutionis beneficium recepisset. Tunc mulierem in illa verba dimisit: *Vade in pace*. Post hæc omnia, paucis verbis infra continuat S. Lucas, Mariam Magdalene aliaque nonnullas foeminas Jesu Christo prædicationis gratiâ per regionem discurrerenti adhaesisse.

Ad probandam distinctionem Magdalene à foemina criminofa adducitur primò, Mariam Magdalene è malo septem Dæmonum hospitio ante respicientiam suam liberatam fuisse. Alia erat igitur foemina, à muliere illa criminofa sceleribus suis tota Urbe notissima; vix enim in unam eandemque personam convenire possunt duo illa, ut publicam exerceat scortationem, simulque à Dæmone agatur. 2. Maria Magdalene è *Magdalum*, unde nomen traheretur, originem retulisse creditur, quemadmodum in superioribus demonstratum est; criminofa verò illa Urbe Naim licentiæ suæ theatrum nata erat; est igitur altera ab altera muliere distinguenda. 3. Magdalene duobus saltem postremis Jesu Christi annis itinerum illius comes accessit; cum interim criminofam illam foeminam, nec ad meliora etiam consilia redactam, potuisset sine aliqua probri infamia sibi Jesus Christus adsciscere. 4. Tandem nunquam foemina illa Mariæ Magdalene nomine designata est; nec vicissim Mariæ Magdalene criminofæ titulus unquam tribuitur. Ex quo conjectura non levis ducitur, alteram esse ab altera sedulo distinguendam.

Hæc omnibus reponi potest. 1. Si ea quæ de Maria Magdalene à Dæmone vexatâ narrantur ad sensum allegoricum cum Patribus quibusdam detorquenda essent, fieri utique poterat, ut una eademque foemina & à Dæmone ageretur, & scortationem exerceat. Si verò à Dæmone reapse possessam constitueremus, reputandum est, agi illam per intervalla à Dæmone, ut proinde commodum nancisceretur spatium licentiæ simul in publicis Urbis locis exercendæ. Facillè etiam à Dæmone illo impudicitia agebatur, cujus sæpè in Sacris Libris mentio (x). Ita de Saule memoriæ proditum legimus, agitari illum à Dæmone consuevisse, ut nihil tamen impediretur, quin in expeditiones prodiret, & reliqua exerceat vitæ munia, quæ ab hominibus cæteris præstantur. Idem facillè & in Maria contigit.

2. Maria Magdalene potuit originem suam, & nomen è *Magdalum* retulisse, scortationem autem exercuisse in Urbe Naim, cum maximè duo hæc loca minime distarent. Sive autem Naim haberet libidinum suarum theatrum, sive *Magdalum*, sive *Tiberiadem*, sive alium quemcumque locum, satis habemus, si mulieris criminofæ cognomine in urbe Naim innotesceret.

x Osee 4. Spiritus fornicationis deceptus eos.



quod ab Evangelista adnotatum est.

3. S. Lucas non prius refert Mariam. Magdalenam Jesu Christo comitem adhaesisse, quam post narratam de ejurato ab ipsa crimine historiam. Nihil autem prohibet, quin foemina criminosa, post factam criminis renunciationem, Magistro adhaerit, ut una eademque cum Magdalena haberetur. Potuit etiam ad meliorem & valetudinis, & innocentiae statum rediisse ante aliquod tempus, quam aedes Simonis Pharisaei adiret. Arbitratur quidem Pharisaeus foeminam illam in crimine mansisse; sed numquid proinde mansisse reapse semper, recta inde consecutione inferretur? Eius poenitentis fama non antea facile evulgata est, quam cum ad pedes Jesu Christi palam accidit, tunc enim lacrymarum suarum meritum a pristinis elui criminibus impetravit.

Invidia apud Pharisaeos contrahenda, siquidem Christus in comitatu mulierem impudicitiae fama notissimam adhibuisset, metus aliquid in rem presentem valeret, si exploratum non esset, Jesum Christum in comitatu habere viros deploratae fame non refugisse. Ita Apostolorum suorum collegio Publicanum sociavit (†). Pharisaeorum criminationes de sociatis sibi communi mensa Publicanis, & peccatoribus contempsit, atque in ludum vertit (\*). Edixit Publicanos, & foeminas criminosas preverfuras Pharisaeos in Regni Celorum possessione (y). Quae tunc temporis obtinebat apud Judaeos praedicationis gratia regionem discurrentes consuetudo, ut itineris comites haberent foeminas aliquas religiosas, a quibus necessaria praestarentur, ejus rei apud Judaeos invidiam tollebat omnem. Ad haec publica respicientia Magdalene exhibita documenta, provectior ejus foeminae aetas, debuit enim aliquot aetatis annos egisse, praecedens ejus valetudo, atque transmutata in melius vitae exempla, omnis pariter suspicionis timorem removebant, atque scandalo consulebant, si forte inde aliquod succurrisset, cum habere Jesus in comitatu foeminam impudicam spectaretur. Hujus tandem objectionis pondere multo quam nos magis urgentur, singularis foeminae assertores.

4. Fateor quidem, Evangelistas nunquam Mariae Magdalene nomen foeminae criminosa tribuisse, nec vicissim Magdalene titulum criminosa; sed animadvertisse, pariter juvat, nunquam criminosa illam mulierem peculiari nomine designari, unde nulla deduci potest conjectura alio illam nomine, quam Mariae Magdalene nuncupari. S. Lucas, sive ad indulgendum mulieri illius decori, sive alia quacumque persuasus ratione, noluit, ejus describens historiam, genuinum ejus nomen scriptis mandare, contentus sub generali foeminae criminosa nomine, haec omnia retulisse. Potuit autem consilium illud suggestisse Evangelista, sive scandalum, quo inspecta muliere illa affectus est Pharisaeus, vel invidiosum criminosa elogium, quo vir ille mulierem notavit; potuit, inquam, his omnibus S. Lucas persuaderi, ut peculia-

re nomen supprimeret, eodemque tunc primum utendum censuit, cum de eadem muliere in comitatu Jesu sermo honorificus recurreret.

Ceterum sententiam hanc nostram, non veluti assertam, sed tanquam probabiliorrem defendimus, illud etiam demonstrantes, quae contra illam formantur objectiones, congrua aliqua responsione dilui potuisse. Suum gradum probabilitatis tenet opinio, quae tres Marias tanquam distinctas inter se foeminas tuctur, quemadmodum demonstrandum modo suscipimus.

ARTICULUS III.

Mariam Magdalenam, Mariam Sororem Martha, & foeminam criminosa tres esse inter se distinctas mulieres.

Id potissimum sententiae huic suae commodi accessisse illius patroni animadvertunt (\*), qui cum negantem propugnent opinionem, nullum dicti sui documentum proferre teneantur. Nullus in novo Testamento textus tres illas foeminas in unam eandemque mulierem confundit; id satis pro sententiae hujus patronis, quo scilicet veluti proprio jure alios ad respondendum cogunt, cur in unam confundenda sint; nec debent ipsi vicissim quaerentibus aliis respondere, cur fuerint distinguenda. Dicti sui documenta exhibuisse ad eos spectat, qui indistinctas teneant. Agitur enim de facto quodam historico, diserte satis ab Evangelistis relato, quo tres personae tribus inter se distinctis nominibus designantur; haec enim foeminae criminosa nomine appellata est, altera Mariae sororis Martha, tertia tandem Mariae Magdalene, singulae diversi rebus gestis clarent. Quod igitur inter se confundenda demonstrantur, non praesumptione tantum agendum est, neque congruentis, neque longe ab ea aetate remotis Authorum testimoniis; petita ex ipsa re documenta, nec ambigui textus promendi sunt.

Ex superioribus autem credimus exploratum, multo quidem argumenta, quae in eam rem probandam afferuntur, a perspicuitate abuisse. Unicus tantum Evangelii textus producit, ad demonstrandum Mariae Sororis Martha, & Mariae Magdalene singulari tatem, unus, inquam, textus, & si quis alius ambiguus, ad arbitram sicuti consecutionem deductus. Pro asserenda vero inter Mariam sororem Lazari, & foeminam criminosa unitate, nullus expressus textus adducitur, quantum sibi facebant negotii ejusdem sententiae assertores, & quas cogantur formare hypotheses in superioribus demonstratum est. Pro caeteris vero argumentis omnibus ed rediguntur, ut demonstrent, singularis mulieris opinionem, Sacrae Scripturae auctoritati non repugnare, congruere autem maximè cum Ecclesiasticis Officiis, solamque demum obtinuisse in Occidente, post

† Matth. 9. 9. \* Matth. 9. 11. & 11. 19.

y Matth. 21. 31.

\* Anquetin. Dissert. de S. Maria Magdalena p. 1. 2.

z Vide Gavant. Rubric. apud. Efrimorat. 14.

post S. Gregorium Papam, atque auctoritate insignium Doctorum, & Scripturae Interpretum valuisse.

Nihil tamen ex his satis impraesentia. Possessio, cui potissimum fidunt, nunquam satis quiete & in tuto mansit, saepe enim turbata est, & multo etiam saepius e gradu suo excidisset, si minus in studium Scripturae praevencionis, & plus aliquid meditationis collatum fuisset. Porro in quaestione facti, in qua nullum imminet fidei detrimentum, neque temporis, neque auctoritatis legitima aliqua praerogatio admittitur. Integrum est omnibus causam prohibito ad Judicem revocare, integrum in examen adducere monumentorum fidem, ex quibus prioris illius sententiae auctoritas consistit; si forte monumenta illa subsistere adhuc, nemine dissidente, contingat. Manent autem, aeternumque manebunt Evangelia, e quibus monumenta in rem praesentem promenda sunt.

Multum equidem deferendum Officiorum Ecclesiasticorum auctoritati fateamur, a quibus non nisi evidentissima aliqua ratione recedendum est; sunt enim in sacris Ecclesiasticis caeremoniis atque solemnibus Fidelium precibus, Fidei evolutorum saeculorum & traditionum nostrae Religionis servata dogmata. Sed inter Officia tamen Ecclesiastica solerter distinguenda sunt ea, quae ipsum veluti mysterii fundamentum constituunt, & preces sive caeremonias continent, quae ad remotissima petite antiquitate neque exordium suum, neque auctorem noscunt. Tenenda sunt ista quidem, eoque suspicienda, ut minimum quid de illis dubitare nefas habeatur. Portio sunt enim depositi Fidei, Ecclesiae custodiae contrediti.

Quod autem ad caeremonias & preces recentiori aetate in Ecclesiastica Officia inventas pertinet, uti historiae Sanctorum, vitae Martyrum, illas tamquam veras assertasque defendere nunquam in se Ecclesia suscepit. Quare non in examen revocari tantum earum veritatem patitur, sed laude etiam dignos censet, qui rem illam agrediantur, & si forte secundo illorum labore aliquid deprehensum sit fictum & ambiguum, illa repudiare statim & supprimere ad se alienum non arbitratur. Nec deessent ad eam rem demonstrandam exempla. Ecclesiae Parisiensis, Aurelianensis, Vienneensis, & Ordo Cluniacensis vetus Officium suum reformare aggressae sunt, quo tres Mariae in unam confundebantur, eorum distinctionem jamdiu neglectam restituentes. Eodem consilio Clemens Papa VIII. tollendum iussit ex Officio S. Mariae Magdalene (z) vetus quoddam Canticum, quippe quod nimis aperte Mariam Magdalene cum sorore Lazari & foemina criminosa confunderet. Id tandem reputandum est, Ecclesiam singulari Officio noluisse tres in unam confundere, sed trium memoriam una simul die celebrare.

Nunc autem singula hujus opinionis argumenta promenda sunt. I. Maria soror Martha e Bethania vico, non longe a Jerusalem, originem referebat, nec alibi lo-

corum unquam in Evangelio exhibetur. Morabatur ibi cum Martha sorore sua, cum Jesu, & facile primum, eo divertens, quaerentem audivit Martham, quippe quae a Maria sorore domesticis in rebus praestandis solitaria relinqueretur (a); ibi pariter versabatur, cum Jesus ad revocandum ad vitam Lazarum venit (b), ac tandem in Bethania caput & pedes Jesu Christi discumbentis sex ante obitum ipsius diebus unguento perfudit (c). Maria Magdalena e Galilaea ducebat originem, quemadmodum non semel ab Evangelistis significatum est (d). Altera igitur ab altera Maria diligentissime distinguenda est.

II. Mariae Magdalene cognomen e Magdalo Galilee accersant magno numero Interpretes, unde nomen foeminae inditum Maria e Magdalo, quemadmodum usurpanti solebat Jesus e Nazareth, Simon e Giseala, Judas e Gaulone &c. Cum vero eadem sit facile mulier ac criminosa illa foemina, ideo viri cognomen Jesu Christi comitatus praestitum est, nullum addebatur. Ita nota sunt in Evangelio Maria Cleophae, Maria Salome, Joanna Chusa, & sic de singulis. Pro viri nomine Patriae substantivum est. Mentio autem occurrit Magdala tum in Libris V. T. cum in Josepho, Talmudistis, Eusebio, S. Hieronymo, atque ipso pariter Evangelio. Urbs Magdala in Tribu Nephtali habetur Josue 10. 38. ibique pariter cap. 12. 21. legitur Magdala, alio nomine Madiel. De arce Magdala mentio apud Josephum in Libro de vita sua, ubi narrat Agrippam eidem Arci expugnandae copias misisse. Magdala legas Matb. 15. ult. Eundem locum videas apud Talmudistas (e) atque sicuti ferunt trans mare Iberiadis (f). Maria soror Lazari nunquam alio titulo innovefit, quam Mariae sororis Martha, sive Lazari. Quis ergo cum Maria Magdalena illam confundat?

III. Nihil habent duarum mulierum characteres commune. Quae mulier Mariae Magdalene nomine censetur, foemina erat Galilaea, quae acceptum, a Jesu Christo benedictum, pulsi nempe e corpore suo Daemonis repensura, largitori suo comes perpetua adhaesit, ne in cruce quidem & in tumultu clausum deserens. Maria soror Martha in Bethania patria sua solitaria manebat aded; ut neque domus suae administrationem sustineret, cum Jesus eo primum divertit, nec unquam inter comites Jesu Christi memoratur, nunquam Praeceptorem illum suum vidisse extra vicum Bethaniae vel forte extra domum suam legitur.

IV. Maria Magdalene in comitatu erat Jesu Christi postremo vitae ipsius anno (g); quippe quae e Galilaea Jerusalem ad novissimum Pascha se conferenti comes adhaesit. Erant autem tum temporis Maria & Martha una cum fratre suo in avitis Bethaniae aedibus (h), namque absente adhuc Jesu Lazarus decessit, cum antea affectus valetudinis ipsius nuncium ambas sorores

a Luc. 10. 28.

b Joan. 11. 2.

c Matth. 26. 1.

d Marc. 14. 2.

e Joan. 12. 1.

f Matth. 27.

g 56. 57. Mu-

lieres, quae se-

cuta erant se-

sum a Galil-

laa, inter

quas erat Ma-

ria Magdale-

na. Marc. 15.

40. 41. Luc.

23. 49. 55.

e Talmud. in

Taanit. fol.

20.

f Vide Ligfoot.

in Matth.

Cellar. Geo-

graph.

g Vide Matth.

27. 56. 57.

h Marc. 15. 40.

i Luc. 23.

49. 55.

k Joan. 11. 1.

l 2. &c.

m.